

05 A 364

05

A

364





10.

DISPUTATIO THEOLOGICA

DE

FORMULA

CONCORDIÆ,

MODERATORE

DN. JOHANNNE Deutschmann/

SS.Theol. D.& P.P. celeberrimo, Elect. Alumn.

Ephoro gravissimo,

Fa tore, Promotore ac Præceptore suo] æta-  
tem devenerando,

PRÆSIDE

M. JOHANNNE NICOLAO JACOBI,

&

RESPONDENTE

PETRO TIMÆO,

Dresd. Elect. Alumnis,  
*habita*

*Horis & loco consuetis.*

Anno æræ Christianæ

M DC LXIII.

WITTEBERGÆ

Typis JOHANNIS BORCKARDI.



V I R O

*Plurimum Reverendo, Amplissimo & Excellentissimo,*  
DN. GOTTFRIED MEISNERO, SS.Theol. D.  
celeberrimo, Ecclesiæ Haynensis Pastori Primario & vi-  
cinarum Superintendenti vigilantissimo,  
PATRONO & PROMOTORI

obnixè colendo,

*Nec Non*

V I R I S

*Reverendis, vario rerum usu conspicuo & Doctisimis*

DN. M. NICOLAO JACOBI,

DN. JOHANNI KITZINGIO,

DN. M. CHRISTIANO ZIMMERMANNNO, Pa-

DN: GEORGIO CLET,                   storibus, & è civib9

Radeberg: primati,

Parenti, Fautoribus & Avunculo  
æterno honore prosequendis

*Hanc, à se conscriptam, disputationem  
offert*

M. Johannes Nicolaus Jacobi.



05 A 364



## DISPUTATIO THEOLOGICA

### DE FORMULA CONCORDIÆ.

#### THESIS I.

Formula concordix est norma & Symbolum Ecclesiarum *γνησιως* Lutheranarum.

*Ex Socris.*

§.1. Formula à formâ dicitur: & est forma, secundum quam aliquid fit. Propriè juris vocabulum est. Vocabant enim Jcti formulas propositiones quasdam certis ac solennibus verbis conceptas, ne quis in instituendâ actione vel petitione aberraret: & eas sequi omnes tenebantur, teste Cicerone atq; Horatio. Pro ipsâ quoq; actione, ad quam adhiberi solebat, capitur à Syetonio & aliis.

§.2. Concordix vox cordium conjunctionem significat; & à nobis non sumitur pro Deâ Romanorum, cui Livia ædem extruxit splendidissimam, ut refert Ovidius lib.1.Fast.v.639. & lib.6.v.637; quemadmodum nec pro pace politicâ, aut oeconomica, sed Ecclesiasticâ, quæ inter Ecclesiæ *γνησιως* Lutheranæ, ac legitime utenti Sacramentis addictos facta fuit, & in Christo unice fundatur. Propterea etiam ab Apostolo pax Dei Phil.4.7.Coloss.3.15. unitas Spiritus Eph.4.3.nuncupatur. Itaq; Formula concordix proponit nobis formam, ad quam dissidia Ecclesiastica, infelici sidere tunc temporis nata, composita sunt. Nequaquam autem titulus hic gloriosus nimis est & fastuosus, ut in Episcopatu Martisburgensi quidam, tempore subscriptionis, monuit. Dicit enim concordiam nostrarum Ecclesiarum, non hostium, Pontificiorum & Sacramentariorum. Et jamdum ante constitutam hanc concordix formam inter paucas Ecclesias Witebergæ forma concordix scripta erat, Scripserat quoq; Philippus de formâ

P

concor-

concordiæ, & Calvinus consensionem mutuam de re Sacramentariâ inter Ecclesias ediderat: neuter verò ob eam rem reprehendi, aut criminis affectati gloriosi tituli incusari potuit.

§.3. Coeterùm diversis hæc nostra concordie Formula nominibus & titulis insignitur ab Auctoribus; qui sunt vel è nostratibus, vel ex parte adversantium. Utriq; eidem tribuunt aut simplices titulos, aut periphrastricos. Nostrates simpliciter vocant Epitomen articulorum controversorum, Declarationem articulorum controversorum, Librum Torgensem, Librum concordie Christianæ, per Synechdochen totius, cum aliàs Liber concordie dicatur is, qui & tria Symbola Oecumenica, & Aug. Confess. cum Apologiâ, & articulos Smalcaldicos ac Catecheses Lutheri complectitur: Adversarii appellant Decreta Bergensia, Condemnationes Bergenses, Librum Bergensem, Librum discordie, & Concordiam discordem. Nostrici cum encomio nominant Symbolum Ecclesiarum *γνησίως* Lutheranarum, novissimo hoc tempore, longè augustissimum, Symbolicum Ecclesiarum Aug. Confess. scriptum, & invictum, immotum, politum, elegantem, augustum, sub Augusto Principe scriptum, librum: Adversarii, calumniis & convitiis instructissimi, communiter vocant *μῆλον ἐρειδόν*, opinionum falsarum & obsoletarum cumulum, refutationes & condemnationes, quarum plures partim solidis aliorum refutationibus, partim suâ absurditate conciderunt, Ædificium non quadrans ad fundamentum, & Glossam repugnantem textui, Molem indigestam, mutilam & rudem, obsoletas quasdam hominum turbulentorum rixas, *ἀκυρολογίας, θαύματα ῥημάτων*, & sententias neq; inter se, neq; cum veritate consentientes propinquantem, non Repetitionem, vel Declarationem Aug. Confess. sed mutationem, depravationem & everisionem, quia obtrudit ubi quitatem corporis Christi, realem communicationem idiomatum, per dispensationem unionis hypostaticæ, & quæ sexcenta, dictu indigna sunt alia, quibus & diras in sanam doctrinam blasphemias, & aperta mendacia orbi Christiano obtrudunt: id quod præ cæteris Poëta Calvinianus, contenta Libri concordie recensiturus, hoc disticho fecit:

et; rōs;  
res;

R. habet Ausonium liber hic, habet Rq; Pelasgum.

R. habet Ebraum, prætereaq; nihil. §.4. Utut

§.4. Utut autem crimentur ac sciant in divinum hunc librū maledico ore Adversarii; est tamen ac perstat quoq; Ecclesiarum nostrarum norma & Symbolum verum ac genuinum. Commune id habet cum cæteris Libri concordia scriptis, quorum modò facta fuit mentio. Evincunt hoc accurata ejus cum Scripturâ Sacrà harmonia & consensus Catholicus, & virtus discretiva, quâ ab aliis, perversa docentibus, nos instar tesseræ cujusdam militaris se jungit. Quò accedunt scripti ab Ecclesia publicè facta receptio, Symbolica perfectio, perspicuitas, infallibilitas, respectu fundamentalis doctrinæ, invariabilitas, sinceritas, & alia symbolo competentia attributa. Contra quæ dissensum à Scripturâ, in astructis quibusdam dogmatibus novis, privatas molitiones & factiones, imperfectionem maximam, obscuritatem, falsitatem, mutationes, periculosas & falsas locutiones, aliâq; ejus generis plurima reponunt Adversarii, mendaciorum architecti.

§.2. Coeterum non ita crudè & nudè normam dico Formulam Concordiæ, quia absolutè dicta norma theologica unica est Scriptura Sacra. Disting. ergò est inter normam fidei & doctrinæ: & inter normam Ecclesiæ, qualis est Formula Concordiæ. Deinde, inter normam doctrinæ abstractè & in universali consideratæ: & concretivè, seu in particulari, quatenus in hoc vel illo cœtu & Ecclesia consideratur. Hac ratione simul normat objectum personale & reale: Hoc vero non ex se, & sibi innatâ, sed ex alio, & communicatâ à verbo divino virtute præstat. Ideoq; distinguunt alij inter normam primariam: & secundariam, quam assignant Formulæ Concordiæ, accipientes hanc distinctionem non in sensu coordinato & analogo; sed causali & subordinato, ita ut norma hæc secundaria, tanq. effectus, dependeat à Scripturâ Sacrà, ut causâ, & illi ipsi subordinetur: non aliter, atq; modio, aut ulnæ publicæ subordinatur modius aut ulna privati alicujus hominis. Vid. Himm. disp. 2. Anti Alsted. p. 59.

#### Thesis II.

Conscripta fuit Formula Concordiæ ductu divino, sub auspiciis Electoris AUGUSTI, & ministerio probatissimorum tunc temporis Theologorum.

§.1. Quemadmodum Deus universæ pacis parens est : ita quoq; circa ineundam, isto tempore, concordiam Ecclesiasticam negotiosus maximè fuit, impellendo ad eundem finem religiosissimos Electores, Principes ac Doctores, ut verissimè ductu ipsius scripta dicatur Formula concordia; seu, quod idem est, auctor ejus primarius ipse Deus statuatur. Probant id immota Scriptorum Prophetorum & Apostolicorum, ab ipso veritatis principe, Spiritu Sancto immediatè inspiratorum, fundamenta, quibus superstructus est hic liber. Unde lippitudine oculorum Marquardum Leonem, Franciscanum, laborasse, & mentis acie privatam fuisse necesse est, quando sola B. Lutheri scripta pro fundamento dogmatum Libri concordia assumpta esse posuit p. 36. ubi Formulam concordia vocat librum, in quo Prædicantes tentant discordes Lutheri discipulos ex Lutheri libris & scriptis conciliare, injurius eo ipso in B. Lutherum, & auctores Libri concordia, ut indicavit ipsi Himmelius disp. Anti-Leon. 3.

§.2. Probant idem hæreticorum calumnia & convitia, quibus divinum hoc scriptum prosciderunt impudentissimè ac impiè prorsus. Horum non manipulus quidam, sed tota cohors existit. Ex parte Sacramentariorum agmen ducunt Anhaltini & Neostadienses, quos in Apologia confutarunt D. Selneccerus, D. Kirchnerus, D. Chemnitius & D. Schlüsselburgius : Staffurtenses, Wolfius & Bremenses, quos M. Fridericus Petri refutavit : Sturmius, quem D. Pappus, & Hospinianus, quem D. Hutterus in Concordia concorde, & peculiari, eidem opposita, disputatione refutarunt. Ex parte Flacianorum est Christophorus Irenæus : ex parte Romanensium, Pistorius Apostata, Sophista Wilhelmus Lindanus, Petrus Hansonius, Cardinalis Bellarminus, cui opposuit apologeticum scriptum D. Hoë, Petrus Pazmannus, cui D. Balduinus, Marquardus Leo, cui D. Himmelius obviàm iverunt, & Frater Nasus, larvatus Episcopus, ut Reverendissimo Domino Georgio Anhaltino audit, cui dignum paravit epulum D. Selneccerus recit. p. 311. in carmine :

In medio lanæ ponatur prima triumphi,  
Quiq; Lutherum odit, concidat in medium.

Nase



Nasæ tuæ nares quàm pharmaca pulchra requirunt?

Quomodo odoriferum Nasule aroma placet?

Arrius hunc habuit quondam blasphemus honorem,

Hæc eadem tibi sit si data lana, fat est.

§ 3. Omnium autem efficacissimè istud conficit finis scripti Libri Concordiæ, qui varius quidem, ita tamen com paratus est, ut solum Deum primariam ejus causam esse, manifestè ostendat. Scriptus enim est ultimò in Dei gloriam, cujus ipse validissimus assertor est, ita ut alteri eam concedere nequaquam velit Esa. 48. 11. Deinde factus est in testimonium incorruptæ doctrinæ principaliter, vid. Declarat. p. 824. §. Illi enim: minùs principaliter, ut tum *Φιλονικεία* quorundam coerceretur, ac docerentur illi *ὑποδύπωσιν ὑγιαίνόντων λόγων* sequi, vid. præfat. & Declarat. p. 629. §. Eamq; , & p. 632. §. Hanc enim: tum dissensus ab hæreticis & Adversarijs pateret, liquidoq; constaret, eos non esse ex nobis, si qui fortè exiverint ex nobis, secundum illud 1. Joh. 2. 19. vid. Declarat. p. 631. §. Sed res gravissimæ sunt: tum deniq; ut sanctum purioris doctrinæ depositum ad seram posteritatem traduceretur. Quæ omnia eò directa unicè fuerunt, ut redintegraretur & facta tecta conservaretur pax Ecclesiæ. Jam verò Deus est princeps pacis Es. 9. 6. rex pacis Ebr. 7. 2. Deus pacis & Concordiæ Rom. 15. 33. 1. Cor. 14. 33. 1. Thess. 5. 23. Philipp. 4. 7. Ebr. 13. 20.

§. 4. Frustrà proinde Alstedius part. 4. Theol. Polem. p. 520. hoc assertum nostrum eo conatur infringere, quòd Anno 1580, ubi primùm vidit lucem publicam Formula Concordiæ, multa prodigia visa fuerint, cælum bis arserit, horribilis cometa visus, faces in aere conspectæ, & Berga bis terræ motu concussa fuerit, quæ sanè non innuant honori divino litatum fuisse conscripto hoc libro. Ast quid hæc ad Concordiæ Formulam? Et *Φάσματα* quævis semper malè ominosa fuisse, nunquam probabitur. Certè Christo Servatore in lucem edito, Deus stellam miraculosam conspici, & quidem contra signorum ordinem moveri voluit. Felicissimi etiam prodigii loco habendus est ignis iste, ut de insolitâ domus conquassatione non dicam, qui linguarum specie Apostolorum ora circumfulsit, in primâ Pentecoste N. T. Act. 2. 3. Sic referunt historiæ Christianis contra Turcas,

aut gentes barbaras alias, pugnaturis multoties apparuisse cometas, faces ardentes, aliaq; prodigia, certissima secuturae victoriae signa. Sed & longè diversum prodigia ista significarunt, tumultus videlicet bellorum, & animorum incendia, ut in peculiari tractatu de istis signis judicavit M. Colerus.

§.5. Coeterum Deus, auctor primarius, in conscribendo hoc Symbolo certarum personarum operâ usus est. Ac primò quidem Director totius operis fuit AUGUSTUS Elector, cujus fervorem, alacritatem & constantiam in propagandâ cœlesti doctrinâ plenis faucibus decantant historiae superioris seculi, & apertissimi mendacii convincunt Neostadiensis, & alios, qui coactum, privatis ausibus & molitionibus exuscitatum, & à Theologis nonnullis factiosis circumventum & inescatum religiosissimum Electorem clamitant. Videat, qui veritatis amore tenetur, præfationem Augustissimi Ducis & Electoris lit. a.

§.6. Deinde executio facta fuit à Theologis isti negotio ab Electore Sereniss. præfectis, quos ipse vocat eximios, minimeq; suspectos, exercitatos etiam & singulari eruditione præditos Theologos. Horum præcipui erant: D. Jacob. Andree, D. Martin. Chemnitius, D. Andr. Musculus, D. David Chytræus, D. Nicolaus Selneckerus, D. Christophorus Cornerus; Theologi partim Saxonici, partim Brandeburgici, partim Brunopolitani, partim Megapolitani, partim Wurtembergici, qui singuli mundani potius favoris, quàm veritatis jacturam pati maluerunt. Dicit propterea non potest, quàm indignis modis ab Adversariis excipiantur. Nunc enim Anathematistas, nunc importunos & audaces, nunc Concordiæ architectos & fabricatores per contemptum vocitant: Jam compilatores, ἀλλογενεπισκόπους, ubi quitariæ sectæ coryphæos, & quid nisi καθάρματα & περιψήματα nuncupant: id quod diu antè Apostolorum princeps, Paulus, ipsis prædixit.

### Thesis III.

Tradit autem doctrinam sinceram, & ex verbo Dei haustam, nec ulla nova, contradictoria & erronea dogmata continet.

### ἐκθεσις.

§.1. Exhibet divinam doctrinam non totam & universam: sed ejus quandam partem, prout Ecclesiæ status isto tempore postulabat.

bat. Corruperant enim articulum de P. O. cum Pelagianis, Manicheis & Pontificiis Flacius; articulum de L. A. cum Manichæis & Euthusiastis & Pelagianis Victorinus Strigelius, Synergista, & alii: articulum de iustitia fidei coràm Deo Andreas Osiander, Franciscus Stancarus, & auctores libri Interimistici; articulum de B. O. D. Georgius Major, & Nicolaus Amdsdorffius; articulum de Lege & Evangelio Joh. Agricola, Islebius, Antinomus, & mortuo Luthero, Philippus Melanchton, Caspar Cruciger, junior, Paulus Crellius, Christophorus Pezelius, & complures alii: veram doctrinam de tertio usu legis Joh. Agricola, cum complicibus, teste Luthero, articulum de Prædestinatione & Electione, de Cœna item Dni. & Pontificii & Calviniani, quiq; tunc dicebantur, Crypto Calviniani, qui simul vim fecerant loco de persona & officio Christi. Quibus causis gravissimis moti Orthodoxi veram & Scripturæ conformem sententiam de controversis articulis Christiano orbi propalabant hoc scripto, monstratis insuper & reiectis aliorum pestilentissimis dogmatibus, quibus & Dei gloria deprimebatur, & vitam æternam consequendi aditus fidelibus præcludebatur.

§. 2. Constat vero duodecim tantùm articulis, quos alias his comprehendunt versiculis:

Serpens, Arbitrium, Justus, Bona, Lexq; Salusq;  
Et Cœna, & Christus, Descensus, tunc mediæ res,  
Electi, & tandem falsè per plurima sectæ.

§. 3. Et in his novum non est, quòd omnipræsentiæ carnis Christi, & realem idiomatum communicationem affirmant Confessores. Non enim loquuntur de absolutâ quadam, inclusivâ & extensivâ ubiquote, quâ sanctissima caro Christi ad quævis turpissima & obscœna dictu loca diducatur: sed de eâ, quam nos docet infallibilis V. D. veritas Matth. 18. 20. c. 28. 20. Eph. 4. 10. quæq; resultat ex personalis unionis gratia. Cœtera reservarunt visioni beatæ, & ipsa Adversariorum tela in clypeos suos converterunt. Sic eodem modo realem idiomatum divinorum communicationem docet Scriptura Sacra Matth. 11. 27. Joh. 5. 27. Joh. 6. 51. 54. 55. Accedit, quòd diu ante conscriptam Formulam Concordiæ de reali idiomatum communicatione actum fuit Witebergæ, e-  
jusq;

jusq; veritas asserta contra Petrum Goniunzi, seu Conyzam, Anti Trinitarium, à Principe Radzevilo huc missum, quem ob blasphemias noluerunt admittere ad publicam disputationem; imò nec in civitate quidem amplius tolerare potuerunt.

§.4. Sed quemadmodum Adversarii Calviniani novum dogma vocant doctrinam de omnipræsentiâ carnis Christi sinceram, ita istud in Formula concordiae prorsus non tradi asseruit D. Hoffmannus in *der unerfindlichen Beschuldigung*, quem refutavit D. Hunnius in *Nothwendiger Verantwortung des Concordibuchs*, sistendo ejus oculis ipsissima Formulæ Concordiæ verba, D. Heshusii, Collegæ, testimonia, & Ecclesiarum Saxonicarum & Superattendendum  $\delta\mu\omicron\psi\eta\phi\gamma\delta$  confessiones, magno numero.

§.5. Neq; etiam per dogmata, in Formulæ Concordiæ defensa, abrogant Aug. Confessionem, & alia scripta symbolica, ut Neostadienses, Sturmius & Palmerius garrunt: siquidem ea potius confirmant, ostendentes, in Ecclesiæ potestate esse, ut quovis tempore, efflagitante necessitate, testimonium de sincerâ & incorruptâ sui temporis doctrinâ edat, & posteritati relinquat. Propterea etiam libros istos conjunctim edi voluerunt, ut genuini, neq; à privatis manib; adulterati extarent in Ecclesiâ puriore. Imò uti privata Philippi & aliorum scripta utilia, sincera, minimeq; suspecta non suppresserunt: ita multò minus id publicis Ecclesiarum confessionibus fecerunt, de quo Electorum & Statum præfatio abundè satis testatur.

§.6. Coetera sunt mera crimina, quæ tanquam flexi loqua, contradictoria, & erronea Formulæ Concordiæ impingunt Adversarii. Iste enim osorum veritatis animus est, ut, si, quod carpant, non inveniunt, apparentes quasdam antilogias anxie conquirant, in rei tamen veritate nullas. Hæc profectò, quæ nobis obvertunt, tanti non sunt, ut diutius inhærere iis, & chartam profundere opus habeamus. Perstrinxit omnia breviter & accuratè B. Balduinus in Defensione Aug. Confessionis contra Pazmannum, Jesuitam, & Bellarminum.

#### Thefis IV.

Ordo articulorum in Formulâ Concordiæ comprehensorum optimus est: ipsa etiam libri conscriptio & subscriptio legitima, spontanea,

tanea, & Ecclesiae antiquioris genio congruens haberi debet.

ἐκ θεοῦ.

§.1. Formam Libri concordiae hæc proponunt, partim internam, partim externam. Interna in ordinatâ articulorum controversorum & ex Scripturæ canone decisorum, serie consistit. Etsi verò talis in articulis his ordo non sit, quali aliàs in Theologia Didactica traduntur: nihil tamen in eo culpandum, quùm auctores in prioribus quibusdam ad controversiarum originem, & historiam respexerint sine dubio; id quod lucem non exiguam accipit ex articulo VIII. de quo ob præcedentem ortam esse dissensionem manifestè fatentur. Et monstravit Excellentiss. Dn. Moderator in publicis prælectionibus elegantissimum ordinem, quo ita dispositi sunt, ut humanæ salutis ~~normam~~ accuratè proponant. Himmelius quoq; disp. 2. Analys. Logico-Theol. Lib. Conc. thes. 6. convenientem satis tradit, quùm ratione triplicis objecti articulos omnes in tres classes dispescit; ita ut prima objectivè concernat hominem, media Christum, ultima Ecclesiam. Homo autem consideretur in statu partim corruptionis, tum naturalis, artic. 1. de P. O. tum spiritualis, artic. 2. de L. A: partim restitutionis, beneficio vel Justificationis, artic. 3. de justitia Fidei, vel Renovationis, artic. 4. de B. O. Christus consideretur ratione vel verbi tum audibilis, artic. 5. de Lege & Evangelio, & 6. de tertio usu legis: tum visibilis, nim. Sacramenti Cœnæ, artic. 7. de Cœna Domini: vel sui, tum personæ, artic. 8. tum officij artic. 9. de Descensu ad inferos: Ecclesia tandem consideretur ratione ceremoniarum, artic. 10. de adiaphoris; & hostium, artic. 12. de Hæreticis. Quibus postremò subjungitur articulus opertè impugnari cœptus de Prædestinatione & Electione. Quilibet autem articulus constat *ἁπόσει*, *ἰδέσει* & *ἀντιἰδέσει*, seu falsorum dogmatum rejectione, quam anathematizationem, eamq; injustam, contra Christianam charitatem, à judicibus non competentibus, extra Synodum & ante errorum demonstrationem factam querulantur Palmerius, Neostadiensis & alii, veritati palàm obloquentes.

*oeconomiam*

§.2. Externam formam processus, in adornando Libro Concordiæ observatus, complectitur. Non persequar eum prolixè, quod fecit D. Selneccerus, B. Hutterus, Marbachius, Himmelius & alii;

sed

sed concisè, quæ præsentem causam illustrant, adducam. Res autem eò redit, quòd occasionem scribendi librum dederint convicia Pontificiorum, liber Metaxicus, Crypto Calvinismus, & toties variatæ Catecheses, disputatio humanæ naturæ Christi personam & majestatem Filii Dei communicatam negans, libellus, nomine **Grundfest** publicatus, & alia nonnullorum Theologorum fraudulenta scripta & molimina, quibus eò progrediebantur, ut omnia sincera & B. Lutheri scripta è Gynecæo Dresdensi auferrent. Hic religionis veræ curâ permotus Elector indixit aliquot conventus, Dresdensem & Torgensem, in quo, cum fraudulenter nimis agerent Witebergenses, ad carceres damnati sunt, non tam ob falsa dogmata, quàm ob perfidiam & deceptionem, ut Selnecker. p. 29. recit. inquit. Et quia dimissi non mutabant genium, ejecti sunt prorsus, ne majores turbas darent. Interim de pace sollicitus Elector duodecim Theologos, quorum nomina exhibet Selneckerus recit. 2. p. 35, consilium de modo componendi lites capere jubet. Factum id Lichtenburgi, ac secundo duodecim articuli Torgæ conscripti sunt, qui postquam Electoribus, Principibus atq; civitatibus missi lectiq; essent, unà cum censuris in Cœnobio Bergensi, à sex supra positis Theologis, revisi & singulis Diœcesibus à Superintendentibus, Pastoribus & Pædagogis subscriptione probandi transmissi sunt.

§. 3. Nullatenus autem vi & fraude extorta fuit subscriptio à superioribus, ut postea multi honesti viri ejus poenitentiam ducerentur ac dicerent, se non Formulæ Concordiæ, sed præfixis libris subscripsisse: Verum spontè, libero ac læto animo subscripserunt, multis gaudium suum calidissimis lacrimis testantibus: nonnullis etiam indignè ferentibus moram, quòd citius subscribendi libro copia ipsis facta non erat. Non pigror hinc Selneckeri, qui omnium Ecclesiarum subscriptiones recitat, verba adducere ex recit. 4. p. 72. 73. de subscriptione Chemnitii factâ: Pastor, inquit, in **Schönbrunn** dixit: Sumus sicut somniantes. Hæc est dies, quam fecit Dominus, exultemus & lætemur in eâ. Quidam cœperunt clarâ voce dicere: Magnificat anima mea Dominum &c. Erat senex, 87. annorum, venerandus, Ecclesiastes Chemnicensis, qui 65. annos in ministerio servierat Ecclesiæ, Michael Sagittarius

tarius: Is coram omnibus exclamavit: Advenisti desiderabilis, quem expectabamus in tenebris: cum Luthero sepulta fuit veritas & Concordia: ecce nunc summam animi lætitiã audi vi librum perlegi reducentem nos ad Lutherum: Deus hujus mei senii confessionem confirmabit & conservabit. Tres tantum ex omnibus subscribere renuerunt, Superintendens Choldicensis, Johannes Schlegelius, Cantor Bornensis ebrius, & Andreas Thalmann Salfeldiensis, qui Philosophum & Grammaticum, id est, Ludimoderatorem se esse prætendebat.

§.4. Neq; ulla vanitas inest, quod Ludimoderatores, quos Alstedius campanarios vocat, subscripserunt: quia sic juventuti consultum fuit. Adest quoq; ejus facti exemplum veteris Ecclesiæ. Bis enim Irenæus, bis etiam Osius, Cordubensis Episcopus, ab extremo Oriente in Occidentem profecti sunt, colligentes suffragia Ecclesiarum de doctrina Christianorum. Videantur Prolegom. Hutteri in Form. Conc. Himm. d. 3. Anti-Alsted. & Micælin hist. Eccles.

Thesis V.

Nullam passa est mutationem Formula Concordiæ.

ἐκθεσις.

§.1. Acriter ob mutationem insectatur Formulam Concordiæ D. Daniel Hoffmannus in der unerfindlichen Beschuldigung/ & D. Hehusius, uterque à semel receptam, approbatam & subscriptione confirmatam ejus doctrinam deficientem, vel ex privato in nonnullos, Lib. Conc. auctores, odio; vel iram, quod ad singulas deliberationes non postularentur, hujusq; consilium, de inserendis in Formulam Conc. perversorum dogmatum auctoribus, & eorum nominibus, non probaretur, quemadmodum Hunnius docet. Secuti eos sunt tunc Helmstadienses ceteri, dum, collato Dresdensi exemplari impresso cum Mscto, epistolam Ao. 1580. ad Chemnitium dederunt, in qua de insignibus mutationibus conquesti sunt.

§.2. Cæterum vel unicam Chemnitii ad missam epistolam responsione refutati sunt, cui tamen insuper accessit Abbatis Monasterii Bergensis decisum istud: Es kan mit nicht denen Herren-Collectoribus, als das sie nach beschehener Subscription in der Formula Concordiæ, oder auch im Extract e was geendert

Q ij

der


bert haben sollen / von redlichen und ehrliebenden Leuten zu  
gemessen werden: Sondern ist vielmehr darzuthun und zubes  
weisen / das solche vorangezogene mängel und veränderun  
gen / etwa durch des Schreibers / oder der Copisten unflais /  
und dann der Setzer und Correctorum unachtsamkeit in der  
Truckerey / auch verursacht und her kommen. Quas levicu  
las discrepantias, à B. Hunnio notatas, ob penuriam chartæ huc  
transferre non licuit.

§. 3. Coetera autem, ob quæ mutationis incusat Form. Conc. Hof  
mannus, utpote quòd in quibusdam exemplaribus omisse sint for  
mulæ baptisandi & copulandi, accesserit ad finem appendix testi  
moniorum, quòd Apologia facta sit, quâ omissa restituantur, &  
asserta quædam explicentur, aliud exemplar Aug. Confess. quàm  
tempore Lutheri & Philippi usitatum fuit, infartum sit, & nomi  
na quoq; Basilii & Chrysostomi in Loco de L. A. contextui immixta  
sint, levia omninò censemus. Quædam enim Form. Conc. propriè  
non concernunt: quædam sunt falsa: quædam otiosè & vano a  
cumine excogitata. Formulæ dictæ prorsus non attinent Form.  
Conc: deinde ceremonias, non rem ipsam spectant & ob rituum  
in diversis locis varietatem, omissæ rectissimè sunt. Sed nec appen  
dix pars. Form. Conc. est. Peculiariter enim de eâ actum inter Ele  
ctorem Saxon. & Brandeb. & cuiq; liberum relictum, eam vel o  
mittere, vel inserere. Et ideò subscriptiones appendixi præmittun  
tur. Falsum verò est, ob Apologiam conscriptam, mutatam esse  
Form. Conc. quia per eam contra Advers. defensa fuit: Falsitatem  
etiam de infarto alio à genuino exemplari prodit præfatio Electo  
rum, ubi exemplar concordans cum eo, quod in Archivis serva  
tur, adhibitum sanctâ fide testantur: & ipsa quoq; exemplarium  
collatio ostendit. Otiosè verò excogitatum est postremû, quando  
dicit inserta nomina Patrum esse ideò, ut error in istis solis, non si  
mul Philippo & Synergistis damnetur. Rectè B. Hunnius loc.  
cit. P. 82. ait: *Heist daß nicht unnôthig gegrübelst.* Et in  
Bergensi exemplari in margine fuerunt ista nomina, teste Che  
mnitio. Postremò verò, si error aliquis damnatur, non in solo au  
ctore, sed in omnibus propugnatoribus eâdem operâ reprehendi  
tur. Servet Deus porrò doctrinam in Scripturâ & libris Sym  
bolicis intemeratam.









W.

DISPUTATIO THEOLOGICA  
*DE*  
**FORMULA**  
CONCORDIÆ,

MODERATORE  
DN. JOHANNE *Deutschmann*/  
SS.Theol.D.&P.P. celeberrimo, Elect.Alumn.

Ephoro gravissimo,  
Factore, Promotore ac Præceptore suo] ata-  
tem devenerando,  
PRÆSIDE

M. JOHANNE NICOLAO JACOBI,  
&

RESPONDENTE  
PETRO TIMÆO,  
Dresd.Elect.Alumnis,  
*habita*

*Horis & loco consuetis.*  
Anno æræ Christianæ  
M DC LXIII.

WITTEBERGÆ  
Typis JOHANNIS BORCKARDI.

